



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. III. Difficultates aliquæ solutæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

34 enim in homine dari aliquod principium intrinsecum, quod sit prima radix eorum omnium accidentium & dispositionum quæ in homine reperiuntur; hoc autem non potest esse materia prima, quæ ex se non petit ea accidentia; nec anima rationalis, nisi sit unita corpori: si enim præcisè illi assistat, & non faciat vnum per se cum corpore, nec in illo recipiatur, sed solum sit ibi localiter, non potest petere talia accidentia. Vt enim existat localiter ubi est aliquod corpus, nulla in eo petit accidentia, ut patet in animâ separata, quæ potest ubique sine eis accidentibus existere: ergo si ea petit in corpore, plus ibi habet quam existere, illud autem plus, est informare corpus.

35 Confirmatur: non esset vltimo ratio, cur homo moreretur, si non esset ea vnio; nam ea anima sicut alibi potest manere sine dispositionibus, possit manere intra corpus; eo autem ipso homo viueret, quia per te vita consistit in hoc quod assistat corpori.

Tertio, quia si anima non esset unita corpori, & per eam vnionem illi affixa, non esset vlla ratio, cur, manentibus etiam dispositionibus, anima pro suo libitu non possit exire extra corpus, & ire spatium, posteaque redire, sicut potest Angelus à cælo quod mouet, & nauarchus à nauis; nisi dicas, Deum suâ præcisè voluntate extrinsecâ impedire, quod est ridiculum, & de eâ voluntate Dei sine fundamento à te diuinatur. Constat ergo, animam verè esse corpori unitam.

36 Adhuc tamen posset quis dicere, animam, etiam si unita corpori, non esse actum primum substantialem; quia, ut Galenus asseruit, nihil est aliud anima, quam temperies primarum qualitatum, ideò iuxta diuersitatem harum qualitatum oriuntur in homine diuersi affectus & passionis; ideò etiam, pereunte humorum rectâ temperie, perit homo, ergo temperies est hominis anima. Hæc non vrgent, quia solum probaret, animam, ut conseruetur intra corpus, & suas operationes exerceat, ab eis dispositionibus & qualitatum temperie pendere, & ex harum diuersitate diuersos habere effectus ac operationes.

37 Animam autem esse substantiam, probatur eisdem rationibus, quibus Disputatione III. Physicæ, Sect. I. ostendimus, materiam primam necessariò debere compleri aliquâ formâ substantiali, quæ in viuens non est alia quam anima.

Quod autem anima distinguatur à temperamento primarum qualitatum, suadetur facillè: ab animâ enim oriuntur functiones altioris conditionis, quam quæ à primis qualitibus proficiscuntur; ab his enim solum emanat calefactio, frige factio, &c. Sed ab animâ oriuntur actus sensationis, intellectus, &c. quæ operationes, non dubium, quin perfectiores sint quam primæ qualitates. Item animus rationis particeps, cohibet motus in appetitu insurgentes; sed hoc non potest fieri ab ipsâ qualitatum turbâ, ab eâ enim potius excitantur tales motus, quam compescantur; ergo anima est aliquid multò illis perfectius.

Tertio potest obijci: Quia anima à corpore separata verè est anima, & tamen non est actus corporis, ergo anima non est actus corporis.

Respondeo, animam ex se petere esse actum materiæ, quod est esse actum primum, id est substantialem in actu primo; sicut etiam materia prima dicitur esse essentialiter subiectum formarum, non actu eas recipiens, sed aptitudine & exigentiâ.

SECTIO III.

Difficultates aliquæ solute.

PRIMA est, An in homine sint duæ aut tres 39 animæ, vna vegetatiua, alia sensitua, tertia rationalis; an vnica tantum. Ex dictis Disputatione III. Physicæ, à num. 50. ubi de formis partialibus egi, constat, in homine non esse nisi vnica formam substantialem, & consequenter non nisi vnica animam. Breuiter autem id iam ostendo, quia nulla est necessitas ponendi duas, ergo frustra ponuntur. Consequencia est bona. Antecedens patet, quia eadem anima potest esse principium sentiendi, discurrendi, & vegetatiouis, seu incrementi ab intrinseco; non enim hæc operationes repugnant eidem principio.

Aliter nonnulli hanc sententiam probant Primò, quia si essent hæc tres vel duæ animæ, homo non esset vnum per se, ergo non dantur. Sed hæc ratio nulla est, Primò, quia nobis non constat, hominem in eo sensu esse vnum per se, non enim id experimur; vnde ex eo quod homo sit vnum per se, non possumus nos vnitatem animæ probare, sed potius aliunde probatâ vnitate animæ, & vnione eius cum materiâ, inferimus illum esse vnum per se. Secundò, quia posset quis dicere, etiam si essent duæ formæ, hominem esse vnum per se, sicut dicunt, qui formas partiales ponunt.

Dices: Brutum cum solâ eâ animâ sensitua est vnum per se completum, ergo si homini addatur altera anima rationalis, non faciet vnum per se. Respondeo Primò, posse ad aduersarij dici, etiam brutum habere alteram animam pro specificâ operatione illius, & consequenter cum solâ sensitua illud non esse completum. Secundò, & melius, sensitua, quæ in homine ponitur, non esse eiusdem rationis cum sensitua bruti, sed diuersam; ideò etiam si brutum per suam compleatur, non sequi, hominem completum iri per solam sensitua, quia hæc in homine dicitur ordinem ad aliam, ideoque est inadequata, quod non habet sensitua bruti.

Secundum argumentum, quo idem probant, est: Quia anima rationalis impeditur etiam in intellectionibus ab organi læsione, ergo est eadem cum sensitua, alias non iuuaretur rationalis ab organis & sensationibus materialibus. Hoc argumentum est etiam valdè debile: nam posset facile dici, animam rationalem iuuari ab operationibus sensitua, quatenus per illas accipit perfectiores species ad intelligendum, sicut in sententiâ Thomistarum distinguuntur potentias, vna iuuatur ab aliâ. Nec maior est difficultas in animabus distinctis, quam in distinctis potentijs. Et licet ea sententia Thomistica vera non sit, non tamen ideò impugnatur à nobis & ab arguente, quia non possent se illa potentia iuuare inuicem, sed aliunde petitur eius impugnatio. Et si vis exemplum certius, pars formæ equinæ quæ
in

in capite videt, est diuersa à parte residente in cerebro: atqui hæc iuuatur ad suos actus à visione factâ à parte existente in oculo, aut pede, ergo etiam si anima essent distinctæ, posset vna ab alterâ
 43 iuari. Minor probatur, quia quò minus intensè operatur equus in aliis partibus, eò perfectiùs potest in capite; & si cor equi lædatur, etiam in capite non rectas habet operationes, ergo vna pars iuuatur aut impeditur operatione alterius partis, ergo ex hoc capite posset etiam diuersæ animæ se iuuare. His ergo argumentis relictis, standum est primo à nobis supra posito.

Secunda difficultas est, An anima rationalis sit formaliter vegetatiua, & sensitiua. Hæc est quaestio de solo nomine. Si per *vegetatiuum* intelligatur, quod in se crescit & augetur, certum est, eam non esse formaliter vegetatiuam, quia est indiuisibilis: si verò ea intelligatur, quæ est principium intrinsecum vegetationis, proculdubio est formaliter vegetatiua, quia formaliter est principium augmentationis substantialis ab intrinseco, vt omnes fatentur. Absolutè autem puto, illam dicendam vegetatiuam, quia hoc nomen non est
 44 idem quod *vegetabile*, significat enim præcisè virtutem augendi suum compositum; vegetabile verò est, quod in se etiam augetur, hoc autem non habet anima: sicut Deus, licet non sit formaliter mobilis, est tamen motiuus corporum. Eodem modo dicendum est, eam esse formaliter sensitiuam, id est, principium formale sensationum, per quam ipsa verè & realitè sentit, ac percipit obiecta, sed non esse formaliter sensitiuam, id est materialem.

Tertia difficultas est, An anima, vt rationalis, corpus informet. Negat Caietanus, alij fusè affirmant.

Dico Primò, quaestionem posse esse de nomine. Si enim dicatur ratiocinatio seu intellectio non recipi in corpore, verum omnino dicitur, & in eo sensu potest dici, *anima vt discurrens non informat*, id est, discursus non informat. Adde
 45 tamen, posse dici *vt rationalis informat*, id est dependet à corpore: quia licet intellectiones non recipiantur in corpore, quamdiu tamen anima est vnita, pendet etiam ad intelligendum à corpore. Hæc omnino certa. De re verò posset esse cum Caietano quaestio, si ipse veller distinguere in animâ ipsâ duas intrinsecas formalitates, vnam sensitiuam, discursiuam seu rationalem aliam; diceretque, formalitatem rationalem non vniri corpori, sed solam sensitiuâ. In hoc sensu omnino improbabilis esset Caietani sententia. Vt enim sæpè aibi docui, repugnat vnam eandemque indiuisibilem entitatem vniri secundum vnam formalitatem, & non vniri secundum aliam, seu secundum se totam, sicut non potest secundum
 46 vnam produci, & secundum aliam non; secundum vnam existere, secundum aliam verò non; de quo fusius Disputatione v. Logicæ à num. 25. vbi & eas formalitates, etiam in ordine ad cognitionem, vt omnino repugnantes, euidenter reieci. Illa omnia hæc à fortiori habent locum contra vnionem, in quâ vix vllus concedit, posse dari eam inadæquatam vnionem in creatis, licet in diuinis vniri possit immediatè relatio non vnità immediatè naturâ illi identificatâ, vt in humanitate Christi Domini de facto contingit.

Dices: Animus non communicat cuiilibet par-

ti suas operationes rationales, quia non vbique discurrit, ergo non vnitur in quantum rationalis. Respondeo, hanc reduplicationem, in quantum *rationalis*, iam à me esse supra explicatam. Nunc dico, aliud esse, animam non habere vbique suas operationes rationales; aliud, non esse ibi ipsam formalissimam virtutem, & radicem ratiocinandi. Hoc secundum est falsum, illud primum verum. Sicut licet Deus hic non conseruet Romam, hic tamen est ipsamet virtus conseruatiua, & omnipotentia Dei quæ Romam conseruat; neque vna formalitas est hic, alia verò Romæ: & ratio à priori est, quia non vbicumque est vna causa, debent esse ibi omnes effectus illius, vt per se est manifestum.

SECTIO IV.

An omnes Animæ consent partibus integrantibus.

EXPLICITVS partes essentielles seu Metaphysicas animæ, quod per definitionem essentialem fit; iam oportet partes physicas per definitionem physicam illius explicare, circa quæ duplex est difficultas, vna de animâ rationali, altera de sensitiua. Vtramque ferè eadem viã expeditus, si prius differentiam rei spirituales à materiali exactè tradiderimus.

SUBSECTIO PRIMA.

Sententia asserens, esse de essentiâ rei spiritualis, carere partibus integrantibus.

HURTADVS Disputat. 2. à lect. 3. fusè conatur probare, rem spiritualementem in hoc differre à materiali; quòd hæc constat partibus integrantibus, illa verò eis caret, in quo sequitur P. Valquez, quem & refert, obicitque P. Suarez
 49 zio, quòd hanc quaestionem confuderit, dum asseriuit, rem spiritualementem posse esse diuisibilem integraliter. Probat autem suam sententiam Primò auctoritate D. Augustini & D. Thomæ, attentionem, nomine corporis ab ipsis intelligi rem compositam integraliter: inò dicit, ab omnibus bonæ notæ Philosphis nomine corporis id ipsum intelligi. Verùm hoc argumentum leue valdè est: & quidem ex D. Thomâ contrarium omnino ostendo. docet enim apud eundem Hurdum §. 88. animas brutorum perfectorum esse indiuisibiles, & tamen sunt materiales seu corporeæ; ergo sentit D. Thomas, conceptum rei materialis in communi, prout distinguitur à spirituali in communi, non consistere in partibus integrantibus.

Fortè posset respondere, consistere vel in partibus integrantibus, vel in commensuratione cum illis, & formas brutorum hanc habere commensurationem. Sed hoc ab eo dici non potest, qui vult, omnes res materiales in se formaliter consistere partibus, & omnes spirituales eis carere. Iam ergo videat, quæso, quomodo id ex sancto Thomâ probari possit. Respondeo, D. Thomam numquam absolutè negare spiritui partes vtrumque, sed quantitatiuas, prout expressè ex cis locis constat, per quæ est nobis liberum da-
 re ei